

I. N. D. O. M.

DISSE^RTAT^O GRADUALIS
DE

BONITATE DIVINA, IN MEN-
TIS HUMANÆ IMPERFE-
CTIONIBUS CONSPICUA,

CONSENTIENTE SENATU PHILOSOPHICO
IN REGIA ACADEMIA ABOËNSI;

PRÆSIDE

MAG. *JOHANNE BILMARK*,
HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.

PUBLICE EXAMINANDAM SISTIT
NICOLAUS GUSTAVUS BRANDER,
SATA CUNDENSIS,

IN AUDITORIO SUPERIORI
DIE XXVII MAJI ANNO R. S. MDCCCLXXXVI,
HORIS ANTE MERIDIEM SOLITIS.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

VIRO
AMPLISSIMO ATQUE CELEBERRIMO,
DOMINO MAGISTRO,
PETRO ADRIANO GADD,
CHEMIÆ PROFESSORI REG. ET ORDIN., REI PLANTARIAE PER
FINLANDIAM DIRECTORE, REG. ORDIN. DE WASA EQUITI, REG.
ACAD. SCIENTIAR. STOCKHOLMENSIS ET IMPER. OECONOMICÆ
SOCIETATIS PETROPOLITANÆ MEMBRO., NEC NON SOCIETATUM
LITTERARIAR. UPSALIENSIS, LUNDENSIS, GOTHO-
BURGENSIS ALIARUMQUE SOCIO,

AVUNCULO HONORATISSIMO,

Gratissimo condens pectore ingentia, quæ inde ab infantia mea mihi præstitisti favoris prorsus singularis documenta, ne tamen ex continuo ingratus judicer silentio, hanc lubens arripi occasionem, meam in Te, Avuncule Propensissime, pietatem publice declarandi. Permittas autem, supplex rogito, hujus pignus esse dissertationem hanc meam, quam in sinum bonevolentiae Tuae depono. Quam si serena excipias fronte, ego vicissim ad DEUM O. M. calidissima fundam vota, velit ætatem Tuam, jam ingravescerem, tranquillam & jucundam reddere, ut ex Tuo felix voto, per longam adhuc annorum seriem in Familia Tuae solatium & meum commodum sospes atque incolumis vivas. Ita animitus voveo, ad cineres usque permanensurus

AVUNCULI PROPENSISSIMI

humillimus cultor & obedientissimus Nepos
NICOLAUS GUST. BRANDER.

PRÆFATIO.

Quamvis singulæ Supremi Numinis perfectiones tantam, quantam mens nostra concipere potest, admirationem ac venerationem mereantur; præcipue tamen ejus bonitas, utpote nobis quasi proxima, cordato cuivis obvenit longe pretiosissima; siquidem Deus per eam declarat, quam libenter felicitatem nostram velit promotam, ac reapse eam promoteat, quoties paternæ ipsius benevolentiae impedimentum quoddam nostra non objiciat culpa. Quod enim ex immensa possibilitatis abyssō in theatrum mundi hujus prodire nobis licuerit, quod anima nostra eximiis gaudeat facultatibus, quod corpus concinne formatum, quod vivamus, quod cogitemus, quod bonum a malo discernamus, illud appetamus, hoc aversemur, quod rerum creatarum aliæ nobis viatum, vestitum aliæ præbeant, aliæ necessitatibus nostris sublevandis, aliæ vero commoditatibus promovendis inserviant, haec omnia, quæ certe maxima, sunt luculentissima summæ Dei in nos bonitatis documenta. Quum itaque vel ex his jam nominatis appareat, quod meditationum campus vel spatiofior vel gratior Philosopho vix detur, quam ille, in

A

quo

quo specimina bonitatis Dei, qui se *αὐδίγησεν* nusquam reliquit, colligere potest; haud temerarios eos censeri oportet, quorum in eo occupata fuit opera, ut quæ eandem vel imminuere vel tollere videntur, sint naturæ, sint hominum opera vel facta, aliam habere indolem ostenderent, quam eadem obiter contemplati externa suggerat species. Hi, universalitatem bonitatis Divinæ agnoscentes, scrupulos sibi ab aliis iterum iterumque objectos variis tollere modis allaborarunt, & imperfectiones rerum creatarum cum bonitate Optimi Creatoris conciliare. Ad quorum imitationem nos in præsenti ostendemus opella, quomodo bonitas Dei erga genus humanum in mentis nostræ imperfectionibus etjam sit conspicua; sperantes, pium hocce propositum pio Lectori ingratum non futurum.

§. I.

Ne paradoxa defendere velle videamur, juvat terminos, in rubro dissertationis nostræ occurrentes, paucis evolvere. *Perfectionem*, voce hac generalissime sumta, Philosophi definiunt per consensum realitatum in uno, intelligentes per consensum tendentiam plurium ad idem aliquod commune, & per *realitatem* quodvis prædicatum, rem aliquam ingrediens, quod proinde positivi quid innuit, aut omnem excludens defectum, aut cum aliquo saltem compoffibili defectu conjunctum; quo dupli intuitu tam realitas quam per-

perfectio dispesci solet in *absolutam & respectivam*. Quo circa quum oppositarum sit opposita ratio, *Imperfeccio* definienda per dissensum realitatum in uno. Porro realitates pertinent ad Entis vel *essentiam* & hinc pendentia *attributa* vel ad *accidentalia*; quo respectu *Imperfeccio* alia est *essentialis*, alia *accidentalis*. His præmissis observo, Deum, utpote solum Ens absolute perfectum, ac proinde sicut essentia, ita opere Optimum ac Sapientissimum, nihil quidquam, quod reapse imperfectum esset, creare potuisse; qua de re certiores nos facit tam revelatio, quam nostra ratio. Opere enim creationis peracto, sua perspiciens opera, vedit singulorum in toto concentum, declarans proinde *eadem esse valde bona* Gen. I. 30 seu respective perfecta, absolutæ perfectionis per suam non capacia indolem. Quis etiam mente posset concipere, Deo, Enti perfectissimo, magis placere potuisse imperfectionem, adeoque infelicitatem sui operis, quam hujus felicitatem? aut Eum prætulisse metum & indignationem rerum creatarum venerationi, amori, & grati in se animi testificationibus? Sacrilegium omnino foret ac nefas, talia de Optimo & Sanctissimo Numine suspicari.

§. II.

Enimvero quum Deus nihil imperfectum creaverit, & tamen, experientia teste, hominibus necesse fit, cum variis confictari defectibus, ad imperfectio-

nes omnino referendis, quæri potest: unde hæ suam ducant originem? Respondere liceat: quum imperfectiones nostræ non sint essentiales, siquidem homo ex formatrice Dei manu prodiens, imaginem Creatoris sui referret, erunt eadem accidentales, in diversis realitatum gradibus potissimum consistentes, adeoque homini ipsi adscribendæ. Addo, quod humanarum imperfectionum multæ perverse fingantur, &c., ubi adsunt minimæ, easdem augeat & ultra modum extollat prava hominum ad defectus retegundos pronitas, nulla bonorum, quæ in nobis occurrunt, habita ratione. Queruntur igitur de facultatum suarum limitatione, quam malum Metaphysicum appellavit Illustr. LEIBNITIUS; illam vero penitus considerantes, nihil in ipsa mali, quod bonitati Divinæ officeret, invenimus; est enim *Limitatio absentia* ulterioris realitatis; nihil proinde positivi in se continens, atque insuper ita comparata, ut sponte & absqueulla productione rebus omnibus produc̄tis inhæreat. Ducatur enim linea, & terminum ejus seu continuationis defectum, quem quidem malum quid appellare absconum prorsus foret, ultiro & absque ullius opera fieri, quisque animadvertisit. Immo quum finitum aliquod sine limitatione concipi non possit, quantum-eunque Deus limites hos extendisset, querulis tamen occasio de limitatione querendi remansisset. Satius autem fuisset, ut hi bonitatem, propter ea, quæ rebus insunt, venerarentur Divinam, quam Ejus opera,

ra, quorum nec indolem nec fines sibi satis perspectos habent, frivole extenuare. Tales autem haud dissimiles videntur ALPHONSO x, Castiliæ ac Legionis Regi, de suo tantum præsumenti ingenio, ut jaçtitare non dubitaret, mundi systema concinnius futurum, si Deus in opere Creationis eum in consilium adhibuisset; qui tamen reapse non veram mundi dispositionem, quam plane ignoravit, sed Systema a Ptolomæo propositum, quod licet ineptum, pro vero tamen tunc temporis habitum, taxavit.

§. III.

Non equidem diffiteor, quin Deus hominem pluribus ac majoribus, quam quibus gaudet, ornare potuerit realitatibus; at fieri hoc potuisse sine specie mutanda, nego, immo pernego. Sicut enim rebus creatis non alia, quam relativa, afferi potest perfectio; ita in serie rerum, quarum singulis certi tributi sunt perfectionum gradus, sit oportet animal, quod hominis limitibus est circumscriptum. "Demander, inquiret D^r. FORMEY, pourquoi l' homme n' est pas plus parfait, plus heureux, exempt des traverses & des accidentis, que la constitution du monde, & ses propres imperfections lui attirent, c' est precisement demander pourquoi l' homme est homme? Dès la que Dieu vouloit donner l' existence à cette creature qu' on appelle l' homme, il falloit qu' il la fit, telle qu' elle pouvoit être faite; car une chose n' est que"

) 6 (

“ce qu’ elle peut être. Son ame devoit avoir certaines bornes, certaines limitations, en vertu des quelles l’ erreur & le vice y étoient admissibles. Son corps devoit avoir une certaine liaison, ou correspondance avec les autres corps dont l’ univers est composé. - - - - supposer le moindre changement dans ces circonstances, c’ est supposer un autre monde & d’ autres creatures, c’ est detruire l’ homme, en voulant le refondre (*a*).” Quamvis autem ceteræ res creatæ fini, ob quem sunt productæ, jugiter vacent; homo tamen, quamquam illis multis antecellat nominibus, suo haud contentus statu, loco, in quo eum posuit Creator reliquo, alium, quem ipse singendi licentiam sibi sumit, occupare ntitur. Et licet omnia in suam creata esse utilitatem experiatur, majora tamen sibi deberi commoda & ampliores perfectiones contendit, sua importunitate eo usque, sicut videtur, processurus, ut si angelis par esset, eis etiam excellere cuperet. Si autem omnia ex ejus arbitrio ordinasset Clementissimum Numen, indignaretur, Deum, infirmitates ejus, non suam sapientiam fuisse secutum; non perpendens, ordinem naturæ, qui nunc obtinet elegantissimus, penitus ita turbatum fuisse. Ponamus enim equo aut bovi eam indultam fuisse facultatem, ut comparationem sui roboris cum hominis viribus posset instituere; dic, sodes, an novus hic cognitionis gradus vel illi, vel nobis fuisse utilior? Non certe credo; animalia enim ista jugum postea subi-

subire, nobisque tantum, quantum nostra necessitas & commoditas postulent, infervire detrectarent; sed ipsa vicissim continuis periculis, hinc a feris bestiis, illinc ab aëris injuriis atque inedia imminentibus, exponderentur; unde patet, aliam rerum seriem, quam hanc a Deo constitutam, nec qua partes, nec qua totum, vel meliorem, vel optimo Conditore futuram digniorem.

(a) Vid. *Le Philosophe Chretien p. m. 6 & 7.*

§. IV.

Quum binæ sint partes hominis essentiales, anima videlicet ac corpus, & in utrisque imperfectiones quasdam animadvertere sibi videntur nonnulli, has seorsim expendamus, ut appareat, quam parum accurate illi suos subducant calculos, dum in prætensis defectibus Divinam erga homines bonitatem non agnoscunt. De intellectu igitur humano queruntur, quod idem sit adeo obscuratus, ut desiderata in nobis non præferat faciem. Concedo ita esse, si præter intentionem Creatoris cultura intellectus fuerit neglecta, nego autem, si adminiculis intellectum perficiendi rite usus sit homo. Ponamus vero, in gratiam dissentientium, quod intellectus adeo perspicax hominibus esset concessus, ut cum Angelis de acumine possent contendere, accidere tamen eis posset, quod quibusdam angelorum contigit, ut per sublimiorem hanc cognitionem feliores non fierent. Cognoscerent quidem feliciorem statum; juxta tamen scirent plures peccandi modos, nec non fraudum decipu-

cipulis alios implicandi atque his ita nocendi artificia, siquidem cognitio boni distincta, sine cognitione mali oppositi locum habere nequeat. Nonne experientia comprobat, cum quod non facile nos eorum committamus fidei, quos præ cæteris ingenio, in utramque versatili partem, valere novimus, tum quod hi simplicitatem mentiri sœpe cogantur, ne aliorum a se prorsus avertant amicitiam? Nec ignotum est Justini de veteribus Scythis effatum: quod *in his plus proficerit vitiorum ignoratio, quam in Græcis cognitio virtutis* (*a*). Immo si hominibus data esset ratio, qua nexum rerum quarumvis melius, quam quidem nunc fit, perspicerent; probabile valde est, quod toti tunc occuparentur in detegendis phænomenis, quæ ex diversa rerum variarum combinatione existerent, adeoque vel tota eorum vita foret speculativa, vel optimas saltem occasiones bene res gerendi identidem e manibus dimitterent. Nec Historia heic nobis contrariatur, quod, brevitatis ergo, unico tantum ostendemus exemplo. Quis, quæso, regnandi principia ac rerumpublicarum arcana vel intimius perspexit vel melius explicuit, quam acutissimus Cornelius TACITUS? De hoc tamen constat, quod eidem, gubernationi Africæ admoto, nihil profuerint aurea dicta, quæ Romæ in otio scripserat, sed quod turbas tantum & seditiones, quas componere non potuit, excitaverit (*b*). Quam sœpe - ne Philosophi, ceteris acutiores, prolapsi sunt in errores, rationi ac religioni adversos, quin & Societati

noxios, non passi, se ab his deviis in rectam veritatis semitam reduci? Fingamus porro, quod Deus homini concessisset intellectum, quo futura posset praevidere, quam grave - ne nobis foret Divinum hocce munus? Nonne conditio quae nunc misera per futurorum praescientiam foret miserrima? Cui felix contingenteret rerum successus, virtutum plerarumque negligenter exercitium, fruitioni felicitatis speratae totus intentus; nec tamen sua forte satis esset contentus, si felicitatem diu exspectare cogeretur, vel eadem non satis diu frueretur, vel etiam eam deberet personis, quibus obstrictum esse, gravissimum censeret. Contra ea is, qui sciret se adversitatum procellis jactatum iri, malorum futurorum longe prius haberet sensum, quam eadem ingravescere inciperent; quorum metu bona etiam, ipsi interea oblata, ei forent fastidio. Ponamus quempiam praescivisse, se carceri inclusum iri, & consortio dilectae conjugis, liberorum atque amicorum per aliquot annos caritum, profecto carceris molestiae non in momento, quo includitur, sed ab initio cognitionis hujus mali incipient. Eleganter itaque cordatissimus GELLERT, "Gefetzt," die Welt und die menschliche Natur könnten dabey" (cum praescientia futurorum) bestehen, welche Höle" le würde die Welt seyn, und Welch schreckliches" Glück das Glück, ein mensch zu seyn? Ja sollte es" Menschen geben, welche die Gabe hätten, mir mein" Schicksal voraus zu sagen; so bitte und beschwöre"

“ich sie, mir ihre unselige Weisheit zu verschweigen.
 “Pest, Hunger und Schwerdt sind grosse Landplagen; a-
 “ber Nativitat stellern, wofern es welche gabe, Nativitat-
 “steller fur das ganze menschliche Geschlecht, wurden
 “noch weit furchterlicher als alle diese tiefel seyn, (c)”.
 Quærere porro liceat: quis sua forte magis sit con-
 tentus & minus futuri moerore angatur, qui pluri-
 mum, an qui parum novit? ille dies noctesque se tor-
 quet, ut suam continuo augeat cognitionem, & com-
 moda sibi paret fata, hic sine ægritudine ignorat ea,
 quæ suam præcise non spectant sortem: ille servit am-
 bitioni, dum sibi non deesse nititur; hic paret necessi-
 tati ac naturæ, quæ utraque paucis contenta. Ab-
 sit tamen, ut, hisce in medium allatis, ignorantiae aut
 stupiditatis patrocinium in nos suscipieremus; ostende-
 re tantummodo debuimus, intellectum perspicaciorem
 eo, quem Deus homini clementer concessit, nobis pro
 præsenti nostra conditione haud utilem fuisse, adeoque
 nec bonitati divinæ consentaneum, talem nobis largiri.

(a) Vid. *Histor Libr. II. Cap. II.* (b) Vid. *REINHARDI Thea-
 trum prudentiae elegantioris &c. Libr. III. Cap. IV. §. 10.* (c) Vid.
Kermischte Schriften p. m. 283.

§. V.

Nostram præterea imaginationenî, seu facultatem
 reproducendi sensationes, jam antea habitas, insimul-
 lant, esse eam nimis languidam, vellentque, si per i-
 psos staret, eandem esse vividissimam. Qui vero hanc
 fo-

fovent opinionem, haud perpendunt, quod vivida nimis imaginatio rationem nostram non raro ita confundat, ut perversa de rebus obviis feramus judicia, & visa pro compertis habentes, in errorum labyrinths incidamus. Quoties nævum vel minimum invenimus, toties imaginatio hunc in omnes versat partes, donec maxima turpitudinis species appareat, subfuscum in aternum commutans nigrorem. Quoties autem præstantiam rei cuiusdam reperire cupit homo, imaginatio ipsos defectus in perfectionibus habet; adeo ut sparsa Philumenarum ora singulari se commendent venustate; ita quædam, etjam præter meritum, extollens aut extenuans, ut ubi bene, nihil melius, ubi autem male, nihil pejus inveniatur. Quid igitur futurum esset, si imaginationem nobis concessisset Supremum Numen ea, qua nos instruxit, multis vividiorem gradibus? Ad hæc prævia notum est experientia, quod imaginatio maximum habeat in corpus influxum, vehementes motus ac subitaneas in eodem excitans mutationes, adeo ut homines imaginatione rerum absentium, propter plurium idearum confectionem magis interdum, quam illarum præsentia afficiantur; quare excitata imaginatio non raro fuit causa multorum hominum malorum, aliis longam morborum seriem, aliis autem ultima sibi accelerantibus fata; ipsa insuper in aliis culturam virtutum ac munierum curam sufflaminavit, debitos labores propo-nens, ut sarcinas, agentis viribus longe superiores.

Quæ mala per auëtam imaginationis vim procul dubio augerentur. Hinc tamen inferat nemo, imaginationem esse funestum quoddam Dei donum, aut sortem nostram futuram meliorem, si ipfa esset obtusior; sic profecto nostra imminueretur cognitio, ingenii humani festivitas fordesceret, agendi studium torpesceret, & maxima innocuarum voluptatum, quæ sanitatem ac vigorem conservant, pars sine illa periret. Humanæ itaque conditioni optime consuluit Optimus Creator, quod imaginationis gradum nec intensiorem, nec obtusiorem eo, qui nostro inest animo, nobis concesserit?

§. VI.

Memoriam, seu facultatem nostram ideas reproductas recognoscendi, imperfectionis accusant nonnulli, quod ipsa non raro & fallatur & fallat, qui proinde memoriam cupiunt & capaciorem & tenaciorem. Sed hi fere sunt, qui rerum præstantiam ex harum aestimant copia, non perpendentes, multarum laudem in mediocritate consistere, quod ignis & aquæ exemplo præcipue constat. Forte etjam stilum censoreum verterent dissentientes, si cogitarent, quanta memoriae velut prodigia nobis sistat Historia, proponens hinc belli duces, qui quemlibet in numerosis suis exercitibus militem nominatim compellarunt, illinc Philosphos, qui solius memoriae ope, absque charta & stylo extraxerunt radices quadraticas ex summis, quæ plus

plus quam sexaginta constarent cifris. Denius vero hominibus concessam fuisse memoriam, allatis exemplis capaciorem ac tenaciorem; quum tamen mens nostra nihilominus maneret limitata, fieri aliter non posset, quam ut haec nimia illa idearum reproductarum multitudine ac varietate confunderetur, vel fatigaretur. Præterea injuriæ acceptæ, scanda la, pericula & sexcenta hujus modi alia, quorum nunquam possemus oblivisci, & quorum acutior, quam voluptatum perceptarum esse solet memoria, continuas nobis parerent indignationes & ægritudines, ab officiis nos saepe revocarent, facerentque, ut felicitate, cui nos destinavit Optimus Creator, per auctam memoriæ perfectionem, excideremus. Testor experientiam, quæ docet, quod ingenuus virtutis alumnus multa ex sua obliterare memoria necesse habeat, quæ moralem ejus perfectionem & desideratam animi requiem impedirent.

§. VII.

Alteram mentis nostræ facultatem principalem, voluntatem puta, quam LEIBNITIUS per inclinationem faciendi aliquid pro mensura boni, quam continet (*a*), alii Philosophi per facultatem animæ, qua bonum appetimus & malum aversamur, definiunt, ex magna laborare imperfectione, eo certius nonnullis obvenit, quod experientia doceat, homines plerosque non solum velle aliis nocere, sed etiam quod vix ab-

stineant ab iis, quæ fibi ipsis sunt noxia & pernicio-
 sa; quare a tenera discimus ætate, voluntatem no-
 stram esse pravam. **E**nimvero, quum pravitas proprie-
 non cadat nisi in substantiam cogitantem, qualis non
 est nostra voluntas, quæ nihil appetit aut aversatur
 nisi quod ipsis ut bonum vel ut malum sistat sive ratio
 sive imaginatio, pro ut illa aut hæc prædominetur,
 ignoti enim ut nulla cupido, ita nec aversatio; conse-
 quenter si quid fiat perverse, culpa non in voluntate,
 rationis aut imaginationis ministram, sed in homi-
 nem erit conjicienda, qui se ad agendum prius
 determinavit, quam inter bonum verum & apparens
 satis distinxit. **V**ix igitur ostendi potest, quempiam
 alteri ex proposito nocuisse, nisi aliquam hinc vel u-
 tilitatem vel voluptatem, utramque a se in bonis ha-
 bitam, in se redundaturam speraverit; nec quisquam,
 qui sui est compos suique juris, malum quoddam fibi
 acceleravit, nisi illud, comparative saltem ad præsen-
 tem infelicem statum, pro bono habuit. **Q**uod au-
 tem luculentius esse potest Divinæ in nos bonitatis
 argumentum, quamquod voluntati nostræ intensissimum
 studium appetendi bonum & fugiendi malum indide-
 rit? **Q**uod tamen a fine Creatoris sæpe aberret vo-
 luntas, ab homine ipso provenit, qui ex libertate fibi
 concessa attentionem suam non quo debeat, sed quo
 placeat, vertit, & finem Creatoris oblivioni tradit.
Si cum dissentientibus ponamus, voluntatem nostram
 fuisse longe perfectiorem, adeo ut nihil nisi optimum

ap-

appeteremus, evidens est, quod præcipua voluntatis affectio, libertas scilicet, pericitaretur; cuius defectu felicitatem suam minus persentisceret homo, non dissimilis illi, qui omnium rerum copia ad præscriptum quendam tenorem, non ex suo beneplacito, frueretur.

(a) Vid. *Eiusdem Theodiciani p. m. 1607.*

§. VIII.

Quærat forte quispiam: An bonitas Divina, quam sumimam esse vidimus, in nostris quoque imperfectionibus moralibus, seu actionibus malis, sit conspicua? Quam dum affirmamus quæstionem, opinionis nostræ sensus ita non erit torquendus, quasi Deus malas quasvis actiones vi suæ sanctitatis non semper detestetur; sed quod ipse paternam suam improbis non statim subtrahat curam, dum hi salutis suæ prorsus incurii, legem ejus temere transgrediuntur. Quod enim impii multas devorare molestias, quin & gravissima subire cogantur pericula, antequam flagitium possint perpetrare; quod porro, hoc ex votis peracto, externos terrores, internos cruciatus, quin & mala quævis, cum pravis naturaliter connexa actionibus, ut infirmitates, morbos & ipsam experiantur mortem; his ipsis malitiæ humanæ objectis repagulis Deus declarat, quantum misericordiæ suæ viscera nostris commoveantur malis, & quam serio velit a flagitiis homines reducere, per potentiam

tiam suam eos, in prava ruituros, reducturus, si talis vim nostra pareretur libertas. Et dum homo peccare nihilominus pergit, Deus tamen pravitatem ejus ad bonum dirigit finem, adeo ut ex malo particulari bonum non raro resultet generale.

Quominus autem meditationibus his diutius immoremur, obstat imprimis temporis angustia; quare finem huic imposituri opellæ, eandem obsignamus elegantibus hisce versibus, ab Inclito POPE desumtis & in Linguam Gallicam ab Abbatे du RESNEL translatis:

*La Nature n'est pas une aveugle puissance,
C'est une art qui se cache à l' humaine ignorance,
Ce qui paroit hazard, est l' effet d'un dessein,
Qui derobe à nos yeux son principe & sa fin.
Ce qui dans l' Univers te revolte & te blesse,
Forme un parfait accord qui passe ta sagesse.
Tout désordre apparent est un ordre réel,
Tout mal particulier un bien universel.
Et bravant de tes sens l' orgueilleuse imposture,
Conclus que tout est bien dans toute la Nature.*

S. D. G.

